

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXIV. Continens Descriptionem Simonis Petri Primo Ad Christum  
Adducti, Tertia Die Post Reditum Christi Ex Deserto, Joh. I.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

tur, quasi ex composito res ita inter duos illos gereretur.

Addit autem Evangelista Chronographiam, fuisse tunc (*horam quasi decimam*), sc. ab ortu solis, ita ut duæ tantum horæ superfuerint ad vesperam. Non potuerunt igitur ad Johannem reverti, sed illo die manserunt apud Jesum in hospitio ipsius. Suavissima autem sine dubio fuerunt colloquia, quæ Christus cum duobus illis discipulis, dum apud ipsum in hospitio manerent, habuit. Ex verbis verò Andreae, in colloquio cum Simone, colligimus, summam fuisse de agnitione Messia. Atque observandum est, quod Christus dicit: (*venite & videte.*) Multi enim audiunt de Christi persona & officio ejus, & non contradicunt: ostendunt etiam, se non alienos esse à doctrina Christi & Ecclesia ejus: sed ulterius non progrediuntur. Christus igitur his duobus respondet: debere ipsos non tantum quærere & scire ubi habitat Christus, sed inquit: venite & videte. Cum-

que jam Christus in Ecclesia sua habitat, facilis est accommodatio doctrina.

Et hoc est initium & seminarium Ecclesiæ, quæ Christus suo ministerio cœpit colligere. Duo sunt, qui ipsi sequuntur, & pro Messia agnoscunt, sed quales quæso? Unus est Andreas: qui postea cum fratre Simone legitur per totam noctem in piscatione laborasse. Alterius nomen nõ exprimitur: sunt, qui existimant, ipsum Joannem Evangelistam fuisse, qui nomen suum non solet exprimere. Et conjectura non levis est, quòd tã accuratè notat, quæ fuerit hora diei, quando ad hospitium Christi venerunt. Et tota descriptio primi capitis ostendit, Evangelistam illis omnibus, quæ de Baptista & de Christo narrat, interfuisse. Non igitur à vero abhorret, alterum illum discipulum fuisse Joannem Apostolum. Atqui Joanne ille postea invenitur cum patre in navi sarcire re-tia. Tam humile igitur fuit initium Ecclesiæ, quæ sua prædicatione filius Dei cœpit colligere.

CAPUT XXIV.

CONTINENS DESCRIPTIONEM SIMONIS PETRI PRIMO AD CHRISTUM ADDUCTI, TERTIA DIE POST REDITUM CHRISTI EX DESERTO, JOH. I.

RATIO ORDINIS.

**L**VANGELISTA uno quasi continuo textu hanc historiam præcedenti annectit, unde Ephemianus existimat, eadem die utrunque factum, & de Andrea, & de Petro. Sed circumstantiæ manifestè ostendunt, non eadem die, qua Andreas Christum secutus fuit, adductionem hanc Petri factam. Tunc enim dies inclinabat

per duas tantum horas à vespera aberat. Et illo die Andreas cum suo comite mansit apud Christum in hospitio, sicut textus expressè dicit. Non igitur illo die, sed vel postero, vel aliò aliquo sequente die, Andreas, & de Petro. Sed circumstantiæ manifestè ostendunt, non eadem die, qua Andreas Christum secutus fuit, adductionem hanc Petri factam. Tunc enim dies inclinabat

HISTORIA DE SIMONE PETRO PRIMUM AD CHRISTUM ADDUCTO, QUOD ALTERO DIE POST ANDREÆ VOCATIONEM FACTUM EST, JOH. I.

- 41. Ἦν Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρον, εἷς ἐκ τῶν δύο τῶν ἀκουσάντων τὸν Ἰωάννην, καὶ ἀκολούθησάντων αὐτῷ.
- 42. Εὗρετο καὶ ἔτι πρῶτον τὸν ἀδελφὸν τῶν ἰδίων Σίμωνα, καὶ λέγει αὐτῷ· Εὐρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὃς ἐστὶν μεθερμηνεύμενον ὁ Χρῆστος.
- 43. Καὶ ἠγάπησεν αὐτὸν πρὸς τὸ Ἰησοῦν· Ἐμελέψατο ἡ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, εἰπὼν· Σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωάννη· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἐρμηνεύεται Πέτρον.


- 41. Erat Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Johanne, & secuti fuerant eum.
- 42. Reperit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam, quod est, si interpreteris, Unctus.
- 43. Et adduxit eum ad Jesum: Intuitus enim Jesus dixit: Tu es Simon filius Jonæ: tu vocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis.

Periocha hujus Historiæ.

**E**vangalista jam digreditur à Baptistæ testimoniis, & porrò describet, quomodo Christus ipse suis dictis & factis comprobaverit, se esse Messiam. In hac verò historia describitur, quomodo lux agnitionis Christi latius se cœperit diffundere, & Christus paulatim pluribus innotescere, dum alius alium ad cognitionem ejus invitat & adducit. Vera enim & viva agnitio Christi hoc habet peculiare &

proprium, quòd bonum hoc aliis non invidet, sed vellet omnibus esse commune. Et quàm efficax fuerit doctrina Christi, in duobus præcedentis diei discipulis, hæc historia ostendit. Andreas enim mox sequente die fratrem suum Simonem, non in Galilæa, ubi domus ipsius erat, sed apud Jordanem invenit: unde rectè colligitur, Simonem unà cum fratre Andrea, propter expectationem Messia ad Baptistam

Harm. Tom. I.



profectum fuisse. Non autem casu in Simonem incidit, nec à Simone quaesitus tunc fuit: sed (*Andreas prior invenit fratrem,*) inquit Evangelista. Quo ostenditur: Andream gaudio illo exultantem, quod ex indicatione Baptistae, & ex familiari Jesu colloquio diu expectatum Messiam cognovisset, studiosè & sollicitè quaesivisse fratrem Simonem, ut ipsi bona hæc nova communicaret. Cum igitur ipsum invenisset, singulari cum animi exultatione clamavit: (*Invenimus Messiam.*) Chrysothomus rectè hinc colligit, duos illos discipulos pridè duo hæc à Christo accepisse: 1. Veram agnitionem in mente de persona & officio Messiae. 2. Hanc agnitionem securum esse motum in voluntate: quod cum gaudio & exultatione Messiam illum amplectuntur, & vellent ipsum à toto mundo accipi. Et hæc sine dubio de colloquio Jesu Andreas pluribus verbis Simoni exposuit. Evangelista enim tantum capita annotare solent. Quia verò Andreas dicit: (*Invenimus Messiam,*) significat, etiam Simonem magno Messiae desiderio flagrasse. De re enim, quam duo, vel plures simul exoptant aut quaerunt, ita loquimur: Invenimus, quod dudum optavimus & quaesivimus. Porro vocabulum (*Messie*) ex Psal. 2, 2. Daniel. 9, 25. sumtum, Thargum Chaldaicum in mille fermè locis, qui de promisso Salvatore loquuntur, usurpavit. Unde tempore Christi & Apostolorum, appellatio Messiae vulgò usitatisima fuit: & Ebraicè quidem scribitur משיח Meschiach, Chaldaei addunt in finem נ, & legunt משיחא Meschicha, unde Graecis, qui aspirationem in medio dictionis exprimere non possunt, fit Messia: & ratione Graecæ inflexionis, additur in fine Sigma, ac fit Messias. Significat autem non communes unctiones, quales in populo illo usitatae erant; sed cum significat, qui ad officium vel Regis vel Pontificis, vel Prophetæ unctus erat. Et quia usus Graecæ linguae tunc etiam in populo Judaico cœperat, utraque appellatio vulgò usitata tunc fuit, Messiae & Christi. Ideò Andreas dicit: (*Invenimus Messiam*) qui Graecâ interpretatione (*Christus*) dicitur. Quia verò per se generalis est appellatio, ideò Andreas addit articulum: Invenimus τον Μεσσιαν, illum scilicet Messiam, qui peculiariter à Prophetis prædictus, à reliquis unctis præfiguratus, ab omnibus tunc expectabatur, unctus simul in Regem, Sacerdotem, & Prophetam.

Andreas autem non tantum annunciat hoc Simoni: sed adducit eum ad ipsum Jesum, ut coram ipsum videat, audiat, agnoscat, & amplectatur. Hæc enim vera est via conversionis, ut per verbum homines ad ipsum Christum adducantur. Jesus verò probaturus, se esse Messiam, hoc est, plus quam hominem, recitat nomen, parentes & genus Simonis; qui tamen ipsi antea non fuerat notus: (*Tu es Simon, filius Jona.*) Supra autem in historia nativitate Baptistæ ostendimus, quam variegatè Graeci propter aspirationem, quam in medio dictionis scribere non possunt, nomen Johanna scribant, ut non sit dubium, filium Jona & Johanna, Joh. 1. v. 43. & 21. v. 15. idem esse.

Quidam in hisce appellationibus quaerunt mysteria: (*Tu es Simon,*) hoc est, obediens filius Jona, hoc est, columba, propter simplicitatem & man-

nerudinem: vel filius Johanna à gratia, quod Deus ipsi faveat. Sed simplicius est, si ita exponatur, quod Christus ita voluerit ostendere, se esse Prophetam illum, Deut. 18, 18. de occultis enim certò asseverat, quod nomen ejus sit Simon, & quod sit filius Jona: vel quod faciem Simonis intueris, de interioribus animi virtutibus pronunciet, quod scilicet sit obediens, simplex, mansuetus, gratosus. Et cor intueri Dei proprium est. Deinde vaticinatur etiam de futuris, & ostendit sibi cuncta, priusquam fiant, nota esse: quale scilicet & quantum in regno suo organon ex hoc Simone facturus esset. (*Tu,*) inquit, licet obscur, patris ignobilis filius, (*Simon bar-Jona, vocaberis Cephas.*) Pudendæ autem sunt Pontificiorum ineptiæ, qui hinc Pontificem caput universalis Ecclesiæ fabricantur: quasi Graeca sit origo, Cephas à κεφαλή, caput: cum interpretatio addita ostendat, esse Hebræam vel Syriacam. Evangelista enim expressè dicit, Cephas Graeco vocabulo πέτρος reddi, & exponi. Considerandum autem est, quæ sit propria significatio vocabuli κηφᾶς. Hebræa lingua duo habet vocabula, quæ significant integram rupem seu Petram: סלע, סלע Sæla & Zur. Aliud verò est vocabulum כף Kephā, quod significat in ipsa rupe locum aliquem, ad quem quis confugere potest, ut tutus ibi sit, Job. 30. v. 4. Hier. 4. v. 29. Chaldaismus verò סלע leggit. Unde Graeca inflexione fit κηφᾶς. Et scribunt Thargum, Deut. 32. v. 13. ita appellare rammum petra: vel frustum prominens in petra. Et hæc Grammatica observatio convenit cum ipsius, Petri interpretatione, 1. Pet. 2, 4. Christus est vera & solida petra, cui nos ut lapides vivi superædificamur. Petrus igitur non est ipsa petra, seu fundamentum Ecclesiæ: Sed nomen habet ab illa petra, propter duas causas: 1. Quia futurum erat, ut inter varias Satanæ insidias, Luc. 22, 32. & in tristi carnis infirmitate, firma ac constanti fide veræ petrae adhæsurus, & super ipsam tanquam lapis vivus exædificandus esset. 2. Quia ipsius ministerio & confessione, Matth. 16. v. 18. Christus Ecclesiam suam super se veram petram ædificaturus erat. Est autem etiam in Graeca lingua differentia inter hæc duo, πέτρα & πέτρος. Et Varinus quidem dicit, alterum esse commune, alterum esse Atticum: sed analogia Grammatica ostendit, quod πέτρα sit primitivum: unde ductum est denominativum πέτρος. Elias in Thibidi dicit, Thargum lapidem offendiculi vocare Cepha. Et in lingua Italica à petro lapidem vocari pietra: quod ipsum vocabulum etiam in Thargo pro lapide usurpari ostendit. Si quis igitur ita distinxerit: πέτραν esse integram seu solidam rupem, πέτρον verò partem adhaerentem, seu potius quod ædificatur super Petram, & ei adhaeret, sensum rectè reddet: & à Grammatica explicatione in Ebraismo & Chaldaismo non procul aberrabit. Pagninus annotat Chaldaicam linguam Ebr. סלע Sæla, semper reddere Kephā. Et Ebraicum Sæla etiam id, quod super Petram tanquam munitio extruitur, significat. Sed nulla verior est interpretatio vocabulorum, quam quando ad res ipsas, quæ certæ sunt, accommodantur, sicut de loco 1. Pet. 2. v. 4. & de ministerio Petri jam diximus.

Dispu.

Disputant autem, an hoc loco impositum sit Simoni hoc nomen Petrus: An verò tantum sit prædictio de futura impositione, quæ facta sit, vel Matth. 16. v. 18. vel Marc. 3. v. 16. ubi in electione Apostolorum dicitur, Simoni imposuit nomen Petrus. Augustinus verò existimat, hoc loco ipsi impositum nomen Petri, quia Matth. 4. v. 17. de vocatione ipsius textus inquit: Vidit Simonem τὸν λεγόμενον Petrum. Matth. 16. v. 18. verò tantum rationem nominis explicari, & Marc. 3. v. 16. cum eliguntur Apostoli, textum ita interpretandum, ἐπεθῆκε, hoc est, antea imposuerat Simoni nomen Petri. Sed illa observatio utilior est: quòd exempla Scripturæ ostendunt, quibus Deus nomina vel mutavit, vel nova imposuit, quòd illorum opera & ministerio ad res magnas uti voluit, ut de Abrahamo, Isaac, Jacobo, Josia, Cyro, Johanne exempla testantur. Ita Jesum amanter intuendo in Simonem, de futuro ipsius ministerio vaticinatum, & quis scopus ministerii ipsius futurus esset, novo nomine Ce-

phas indicasse, quod ipse explicat, 1. Pet. 2. vers. 4. Hæc interpretatio, quia ipsius Petri est, fallere non potest. Et eadem etiam est Christi interpretatio, Matth. 16, 18. Quòd, si quis conetur inde colligere, quæ capita doctrinæ Christus Petro in prima adductione proposuerit, poterit hac via progredi: quòd scilicet mutatione nominis ostenderit, credentes transire in familiam Christi accepto novo nomine, quod os Domini nominavit, & in cælis ascriptum sit. Item, quòd appellatione Petri Christus ostenderit, se esse lapidem illum angularem, Psal. 118. v. 22. fundamentum Ecclesiæ, cui oporteat superædificari omnes tanquam Petros seu vivos lapides, qui nolunt à portis inferorum expugnari. Complectitur etiam appellatio Petri doctrinam de ministerio ædificante super Petram. Hæc, si tunc non fuerunt à Christo explicata, in verbis certè comprehensa fuerunt. Et illa breviter notare volui, quia præcipua observatio in hisce historiis debet esse de doctrina.

C A P U T XXV.

CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE PHILIPPI ET NATHANAELIS, QUÆ POSTREMA DIE, PRIUS- QUAM A JORDANE IN GALILÆAM JESUS REVERTETUR, FACTA EST, JOH. 1.

**R**ATIO ordinis manifesta est, Evangelista enim expressè dicit, postridiè, post Petrum adductum ad Christum, hæc de vocatione Philippi & Nathanaëlis accidisse, cum Jesus jam vellet à Jordane in Galilæam discedere.

HISTORIA DE VOCATIONE PHILIPPI, ET ADDUCTIONE NATHANAELIS,

Johan. 1.

- |   |  |
|---|--|
| <p>44. Τῆ ἐπαύριον ἠθέλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐξελεῖν εἰς τὴν Γαλιλαίαν καὶ εὐερίσκον φίλιππον, καὶ λέγει αὐτῷ· Ἀκολούθει μοι.</p> <p>45. Ἦν δὲ φίλιππος ἐκ τῆς Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρεᾶ καὶ Πέτρου.</p> <p>46. Εὐερίσκον φίλιππος τὸν Ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ· Ὁν ἐγραψέ μοι Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, καὶ οἱ προφῆται, εὐρηκα ἄνθρωπον, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν Ἰωσήφ τὸν ἐκ Ναζαρεθ.</p> <p>47. Καὶ εἶπεν αὐτῷ Ναθαναὴλ· Ἐκ Ναζαρεθ δύναται τι ἀγαθὸν εἶναι; Λέγει αὐτῷ φίλιππος· Ἔρχε καὶ ἴδε.</p> <p>48. Εἶδεν ὁ Ἰησοῦς τὸν Ναθαναὴλ ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν· Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δολοῦμαι ἐγώ.</p> <p>49. Λέγει αὐτῷ Ναθαναὴλ· Πόθεν με γινώσκεις; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Πρὸ τῆς σε φίλιππον φωνήσαι, ὅτε ἔστω πλὴν σου ἐκείνου, εἰδὼν σε.</p> <p>50. Ἀπεκρίθη Ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ· Ῥαββί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς Ἰσραὴλ.</p> <p>51. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· Ὅτι εἶπὸν σοι, εἰδὼν σε ὑπερκατὰ τῆς συκῆς, πιστεύεις· μείζω τούτων εἶμι.</p> <p>52. Καὶ λέγει αὐτῷ· Ἀμὲν ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ἀπὸ ἄρτι ὄψεσθε τὸν ἔρανον ἀνεωρόμενον, καὶ τὸς ἀγγέλους θεοῦ ἀναβαίνοντας, καὶ κατεβαίνοντας ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.</p> | <p>44. Postero die voluit Jesus exire in Galilæam: &amp; reperit Philippum, &amp; dicit ei: sequere me.</p> <p>45. Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andree &amp; Petri.</p> <p>46. Reperit Philippus Nathanaël, &amp; dicit ei: De quo scripsit Moses in Lege, &amp; Propheta, invenimus, Jesum filium Joseph Nazarenum.</p> <p>47. Et dixit ei Nathanaël: à Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: veni &amp; vide.</p> <p>48. Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, &amp; dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.</p> <p>49. Dicit ei Nathanaël: Unde me nosti? Respondit Jesus, &amp; dicit ei: priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, videbam te.</p> <p>50. Respondit Nathanaël, &amp; ait ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël.</p> <p>51. Respondit Jesus, &amp; dixit ei: Quia dixi tibi, videbam te sub ficu, credis: majora his videbis.</p> <p>52. Et dicit ei: Amen amen dico vobis: posthac videbitis cælum apertum, &amp; angelos Dei ascendentes ac descendentes super filium hominis.</p> |
|---|--|